


CD, DP, HK, reperiatur quarta proportionalis KL. Ac tandem tribus DE, EQ, KL, quarta proportionalis inueniatur LN. Dico inuentas esse quatuor rectas GH, HK, KL, LN, quatuor triangulis proportionales. Ductis enim ex A, ad O, P, Q, puncta concursuum rectis AO, AP, AQ, ^a erit triangulum ACD, trian- ^a 37. primi.



gulo ACO; & triangulum ADE, triangulo ADP; & triangulum AEF, triangulo AEQ, æquale. ^b Cum ergo sit, vt BC, ad CO, hoc est, vt GH, ad HK, ita triangulum ABC, ad triangulum ACO, hoc est, ad triangulum ACD: Item vt CD, ad DP, hoc est, vt HK, ad KL, ita triangulum ACD, ad triangulum ADP, hoc est, ad triangulum ADE: Et vt DE, ad EQ, hoc est, vt KL, ad LN, ita triangulum ADE, ad triangulum AEQ, hoc est, ad triangulum AEF: perspicuum est id, quod proponitur. ^b 1. sexti.

ALITER.

RATIONES duæ expositæ, quæ expeditissimè sunt, propriæ est triangulorum, in quæ diuiditur figura per rectas ab vno aliquo puncto in quouis latere dato, vel ab aliquo angulo emissas: potest tamen idem hoc problema absolui alio modo, qui in quaslibet figuras conuenit, licet non sit tam expeditus. Ita ergo agemus: Sit eadem figura proxima diuisa in triangula, vel etiam in plurimum laterum figuras. ^c Et primo triangulo ABC, vel primæ figuræ, rectangulum, vel ^c 44. vel 45. primo. quoduis aliud parallelogrammum non rectangulum æquale construatur IS: Et super rectam RS, aliud parallelogrammum ST, secundo triangulo ACD, vel secundæ figuræ æquale, habens angulum SRT, angulo I, æqualem. Itè super rectam TV, aliud VX, tertio triangulo ADE, vel tertie figuræ æquale, angulū habes VT-X, æquale eidem angulo I: Ac deniq; super rectam XY, aliud YM, quarto triangulo AEF, vel quartæ figuræ æquale, angulum YXM, habens æqualem eidem angulo I: atque ita deinceps, si plura fuerint triangula, vel figuræ. Dico rectas IR, RT, TX, XM, triangulis, vel figuris esse proportionales. Nam ex quatuor